

pudorem ferebat Artemo. At contra Artemo pro suo iure, et arbitrio, ad illos, quos velit, se applicat, ἀρτοπώλησιν καὶ ἐθελόπορνοισιν ὁμιλέων, et hinc sibi, non cuiquam alteri, diuitias comparauit. Praeterea scribit Athenaeus ex Anacreonte, Artemonem e paupere factum esse, et diuitem, et luxuriosum: καὶ γὰρ Ἀνακρέων αὐτὸν ἐκ πενίας εἰς τρυφὴν ὁρμηῆσαι φησὶν. Quid autem mirum, si seruus pauper erat, et seruo vnde poterant tantae obuenire diuitiae? Non ignoramus, seruos potuisse peculium aliquod comparare, sed quantillum illud erat! atque id omne fere auferebant variis de causis heri: adde illud, quod pro capite numerabant, vt seruitutem exuerent. vnde saepissime nouis libertis opus erat, quod papparent. Verum, inquires, in illum saeuatur suppliciis, quae seruorum erant peculiaria, et propria, Πολλὰ μὲν ἐν δεξι τειθεὶς αὐχένα, Πολλὰ δ' ἐν τροχῶ. Patibulum tulit ille furcifer, idque non semel, et in rotam saepius ascendit. Sed alia plane horum verborum mens est. Artemo namque, vt iam diximus, seruus non erat. quare ita torqueri pro seruorum more non potuit. praeterea quis credat, tam patientem iniuriarum fuisse Artemonem; demus seruū fuisse; vt toties torqueri sustinuerit? Graecorum apud quos solutiora multo seruorum iura, legibus concessa erāt seruis aduersus dominos iniquos actio, qua poterant πρᾶσιν αἰτεῖν. Hoc suo iure vsus fuisset Artemo, dominumque iniquum adegisset, vt se venderet. non enim in mollem, et pathicum, cadit tam fortis animus, vt Spartana nobilitate tot tormenta concoquat. Adde, quod vix puto vsurpatum fuisse Graecis istud in seruos poenae genus, vt collo furcae inserto, et manibus ad patibulum districtis, per urbem circumducerentur. Sed sensus est, Artemonem non tantum muliebria esse passum, sed etiam, quod meritoriam illam eius artem forte gratiorem reddebat, certe non dedecebat, flexu corporis schemata multa edidisse, et, vt vno absolvam verbo, petauristam fuisse. Quid autem significet Anacreon his verbis, Πολλὰ μὲν ἐν δεξι τειθεὶς αὐχένα, et quaenam lubentiae, siue lusus, fuerint, vnus optime explicabit Petronius, cuius verba describemus, si praemiserimus, ἐν δεξι idem esse, ac ἐν δεξιῶ. δεξιῶς autem sunt apud

apud